# PROPOSITIONES THEOLOGICÆ QUAS IN COLLEGIO NAZARENO...

Digitized by Google

162

PROPOSITIONES

# THEOLOGICÆ

*Q V A S*

IN COLLEGIO NAZARENO

ROMÆ ANNO MDCCLXII. 347. 12

FACTA CUILIBET ARGUMENTANDI POTESTATE

*PUBLICE PROPUGNARUNT*

CLERICI REGULARES

**SCHOLARUM PIARUM**

Sacræ Theologiæ Juriſque Canonici
Auditores.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

ROMÆ MDCCLXII.
EXCUDEBAT JOANNES ZEMPEL.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

163

# JOANNES ZEMPEL
## TYPOGRAPHUS ROMANUS
# LECTORI.

EN iterum e typis meis in lucem prodeunt Propoſitiones Theologicæ, de quibus proxime ſolemnes quatuor, ac publicas Diſputationes in percelebri nobiliſsimoque Collegio Nazareno, aſsiſtente P. Martino Natali, inſtituerunt Clerici Regulares Scholarum Piarum, ſcilicet die xv. Julii Joannes Barſanti a S. Antonio, xxiii. Menſis ejuſdem Georgius Caſtriota a S. Cataldo, Auguſti xiii. Wenceslaus Maddalena a S. Nicolao, ac xviii. ejuſdem Auguſti Joſephus Beccaria a S. Ildefonſo. Cum enim quadringenta circiter earundem exemplaria, quæ exilioribus ceteroquin litteris egomet edideram, cuncta ſtatim diſtracta eſse, eaque a multis non in Urbe ſolum, ſed etiam alibi



Digitized by Google

ſtudioſe exquiri intellexerim, opportune me facturum putavi, ſi eaſdem Theſes elegantiori ſane hac forma, incorrupte tamen fideliterque denuo excudiſsem. Nec defuerunt graviſsimi ampliſsimique Viri, qui ad id perficiendum mihi ſtimulos admoverint. At iidem præterea hortari me ac ſuadere conati ſunt, ut Propoſitionem LXIX., quæ in priori editione deſiderari videbatur, hic appoſite adjungerem. Parui equidem non gravate iſtorum conſilio. Nam Propoſitionem ejuſmodi illis ipſis verbis exprimere, atque efferre curavi, quibus aſſertio eadem quoad ſingulas partes a me ipſo impreſsa, & publicis pariter in concertationibus ad diſceptandum propoſita fuit ab iiſdem paulo ante commemoratis Patribus, ſub eodem Moderatore, in eodemque Collegio, diebus XX. & XXIII. Junii, ac III. & VIII. Julii ſuperiore anno MDCCLXI. De reliquo certe ſcias velim, nullam plane aliam mutationem aut in vocabulis quibuslibet, aut in apicibus ipſis factam eſſe. Vale.

PRO-

Digitized by Google

161




# PROPOSITIONES THEOLOGICÆ.

PRæclare a S. Fulgentio *lib. 2. de Veritate Prædeſtin. & Gratiæ Dei* cap. 18. dictum accepimus: AUGUSTINUM *legat omnis, qui ſalutem æternam adipiſci deſiderat, humiliter orans miſericordem Deum, ut eundem ſpiritum intelligentiæ legens ac-*

*cipiat*, *quem ille accepit ut ſcriberet* : *&* *eandem illuminationis gratiam adipiſcatur ut diſcat*, *quam ille adeptus eſt ut doceret*.

II. Nam *quaſi Sol ſuper omnia luminaria ſplendens*, *ac per omnia reſpiciens* : *ſic* ex S. Antonino, *Auguſtinus Eccleſiam illuſtravit*, *gemma Doctorum*, *Pater Theologorum*, *omnes materias penetrando dilucidans*. Fuitque teſte Juliano Pomerio, *acer ingenio*, *in expoſitione Fidei noſtræ Catholicus*, *in quæſtionibus abſolvendis acutus*, *in revincendis Hæreticis circumſpectus*, *&* *in explicandis Scripturis Canonicis cautus*.

III. Quare *mihi decretum eſt* cum

Digitized by Google

 165

cum S. Hieronymo, Sanctum hunc Doctorem *amare*, *ſuſcipere*, *colere*, *mirari*, *ejuſque dicta quaſi mea defendere*; & cum Auctore Dialogi Serapionis, & Arnobii tom. 5. Bibliothecæ Patrum *fateor me ejus aſſertiones ſic probatas habere*, *ut ſeipſum ore ſuo inſanum detegat*, *qui Auguſtinum in aliquo putaverit reprehendendum eloquio*.

IV. Non is ego ſum, qui propoſitionem 30. ab Alexandro VIII. prohibitam velim recudere. At prædico deſipere Recentiores illos, qui blaterant *Auguſtini adoratores ad nauſeam hyperbolicas in eundem laudes congerere*, *volentemque impugnare ejus ſententias habiturum*



Digitized by Google

*adjutorem Deum*; aut jactant, *ſe tot tantaſque in ipſius Operibus antilogias inveniſſe, ut prægrande ſatis volumen poſſent conſarcinare*: & palam facio hæc a quodam parum conſiderate prolata: *Non pauca, neque contemnenda ſunt Auguſtini dogmata, quæ vel Eccleſiæ univerſæ, vel Theologorum aut omnium, aut multorum, nec infimi ſubſellii, judicio reprobantur*.

V. Animadverſiones illæ, quas in Auguſtini libros contra Fauſtum Joannes Clericus ſub Phereponi perſona concinnavit, fuſam iſtius in tantum Præſulem malevolentiam manifeſtant, præterea nihil.

VI. Somniavit procul dubio, qui

Digitized by Google

qui apud Noriſium in Vind. Auguſt. garriit S. Auguſtinum contra Arium diſputantem ad Sabellium, & contra Sabellium ad Arium declinaſſe.

VII. Ex Honorato a S. Maria deprehendimus futili innixum ratione Natalem Alexandrum ſcripſiſſe: *S. Auguſtinum ſibi evidenter contradicere* in lib. 18. de Civ. Dei cap. ult., ubi hæc habet: *mortuus eſt Chriſtus Geminis Conſulibus* VIII. *Kalend. Aprilis*.

VIII. Si attente librum 3. S. Auguſtini contra Creſconium pervolutaſſet Joannes Dallæus, vidiſſet mehercule S. Præſulem, dum ait, Sardicenſem Synodum fuiſſe ab Arianis contra S. Atha-

na-

Digitized by Google

naſium congregatam, non de
Œcumenica, ut idem Hæreticus credidit, ſed de Pſeudo-Sardicenſi, ſeu Philippopolitana verba feciſſe.

IX. Quod Auguſtinus fluctuet de loco, in quo Piorum animæ recipiuntur, eſt ſummæ ejus perſpicacitatis indicium: verum de præſenti illarum gloria, ac intuitiva Dei viſione non ambigit.

X. Solo naturali lumine non poſſe Deum ab aliquo creato intellectu intuitive videri, eſt propoſitio ad fidem pertinens, cui nequaquam opponitur S. Auguſtinus.

XI. Adverſus Vaſqueſium & Petavium cum Thomaſſino, Boucat, aliiſque contendimus, Docto-

Digitized by Google

ctorem eundem tradidiſſe Deum oculis corporeis eſſe inviſibilem, non dubitanter, ſed aſſertive; atque omnia inſuper ſuppeditaſſe argumenta, quibus Theologi hoc in loco utuntur; prudenter vero non definiiſſe quæſtionem aliam: utrum nempe poſt Reſurrectionem Beatorum corpora futura ſint ſpiritualia, & oculi alterius ab iſtis naturæ.

XII. Cum intelligeret Auguſtinus plurimorum Patrum auctoritate firmatam utramque partem quæſtionis: *an Angeli eſſent corporei*, ſapientiſſime in re adeo difficili ac dubia ſententiam ſuſpendit, ut demonſtrat Natalis Alexander contra Dallæum, & Noriſius contra alios quoſdam.

Ad-

Digitized by Google

Addam cum Berti Sanctum eundem Patrem denique annuiſſe, Angelos eſſe natura ſpiritus abſque corpore.

XIII. Inſulſe quidam, ut notat Noriſius, Auguſtino objicit, quod humanas animas fecerit corporeas. Non ſolum enim illarum naturam ſpiritualem abſque ulla corporeæ fæcis permixtione agnovit, verum etiam ſolide demonſtravit.

XIV. Supinam, qua laborant, totius antiquitatis ignorantiam patefaciunt Dallæus, & quidam alii apud Noriſium, dum erroris arguunt Auguſtinum, quod in quæſtione obſcuriſſima de animarum origine: *an* ſcilicet *creentur de novo*, dubius & anceps extiterit.



Digitized by Google

168

XV. Nævum Auguſtini inſcite Recentior quidam, referente Noriſio, vocat dubitationem illam, quam ipſe idem Doctor in quæſtione: *num Sol, & Aſtra animata ſint*, ob Platonicorum, ac præſertim Patrum auctoritatem præ ſe tulit; cum ceteroquin cæleſtia, quæque corpora abſque anima melius ſtatuenda ex propria ſententia non ſemel docuerit.

XVI. Mendoſe, ut ipſe vult Noriſius, quidam litteris commiſit, S. Auguſtinum Telluris rotunditatem latuiſſe, auſuſque eſt, Eidem erroris dicam ſcribere, propterea quod Antipodas non noverit. Cum enim tunc ponentes Antipodas conjectura tantum

tum

Digitized by Google

tum ad id dicendum moverentur, & qui Antipodas negabant omnium hiſtoricorum fide, & antiquiſſima Patrum traditione fulcirentur, auctoribus Natali Alexandro & Noriſio ; potiori jure Sanctus ille Præſul Antipodas ſuſtulit, quam alii adſtruxere.

XVII. Audaciæ potius ſuæ, quam doctrinæ ſpecimen exhibent, qui maledico dente carpunt Auguſtinianam de ſimultanea rerum creatione opinionem. Hanc nos cum Serry, Emanuele de la Cerda, Berti, aliiſque non modo tanquam ab omni animadverſione immunem, ſed etiam ut veriſimillimam, ac ferme certam amplectimur.

XVIII. Perverſe putat Benedi-

Digitized by Google

 169

dictus Juſtinianus S. Auguſtini explicationem ſuper Cap. 3. Ep. 1. S. Petri a Gerardi Voſſii, Clerici, ac Novatorum deliramentis nihil propemodum diſcrepare. Etenim pernegatum ab iis Catholicum dogma de Chriſti deſcenſu ad Inferos expreſſe tradidit S. Doctor; ac laudatam ejuſdem explicationem veluti Sacris Scripturis conformem, & S. Thomæ probatam magnifice commendat Berti.

XIX. Sanctus idem Antiſtes nullibi iis Chriſtianis Theologis refragatur, qui ex miraculis Chriſti colligunt divinam ejus naturam, miſſionem, indubiamque inſtitutæ ab eodem Religionis veritatem.



Digitized by Google

XX. Dupliciter lapſus eſt Abbas Houtteville, dum Spinozæ de Miraculis ſyſtema refutandum ſuſcipiens cenſuit 1. ſecundum veram, propriamque notionem Miracula effectus illos vocari poſſe, qui licet non præter naturæ leges eveniant, inuſitati tamen ſint, nobiſque penitus incogniti: 2. hoc etiam pluribus S. Auguſtini locis demonſtrari.

XXI. Catholicam de Trinitate fidem profitetur Eccleſia in hymno: *Te Deum laudamus*, quem SS. Ambroſio & Auguſtino haud levibus momentis permoti adſcribimus.

XXII. Mentitur Cudworthus, cum *nullum dubium eſſe*, inquit, *quin inter alios Patres Auguſtinus tres*

Digitized by Google

*tres Perſonas Trinitatis non alia conjungi unitate putaverit, præterquam ea, quæ ſpeciei dicitur.* Ex fide enim credendum, eſſe unum numero Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: nec aliter cum alios Patres, tum laudatum Doctorem judicaſſe, jam gnare docteque peroravit excellentis ingenii ac doctrinæ Vir Joannes Lamius.

XXIII. Perantiquam illam, & a S. Auguſtino præcipue uſurpatam locutionem: *Trina Deitas*, minime abjiciendam ducimus cum Petro Couſtant Monacho Benedict. Congreg. S. Mauri, cujus eximiæ eruditioni diligentiæque debet Litteraria Reſpublica caſtigatiſſimam nitidiſſimamque



Digitized by Google

Operum hujuſce Doctoris editionem Pariſienſem.

XXIV. Proteſtantibus, ceteriſque Hæreticis Angelorum, & Sanctorum cum Chriſto regnantium invocationem, qualem Verbum Dei & Scriptum & Traditum, atque Eccleſiæ Catholicæ uſus bene ſuadet, licitam, piam, & utilem eſſe negantibus nullatenus præluxit S. Auguſtinus.

XXV. Dogma Catholicum de uſu, cultuque Imaginum Chriſti, & Sanctorum convellere dum tentat Dallæus, fruſtra Claudium Taurinenſem imitatus de Magni Auguſtini auctoritate gloriatur.

XXVI. Fruſtra etiam comminiſcitur Joannes Barbeyracus San-

171

Sanctum hunc Epiſcopum præſtitum Sanctorum Reliquiis ab Eccleſia cultum improbare, ſibique contradicere, ubi de veris Martyrum Reliquiis, deque veris Miraculis apud eorum ſepulcra patratis ſermonem inſtituit.

XXVII. Arrogantiæ non injuria arguitur a Benedicto Bacchini Jacobus Piceninus, quod ex Auguſtino conatus ſit ſtatuere, *Scripturam judicem eſſe, & regulam, ad quam, ceu ad lydium lapidem, omnia dogmata exigenda ſint, & judicanda*. Namque ex S. Doctore conſtat: 1. Scripturam non adeo eſſe perſpicuam, ut ſola ad quævis dogmata definienda ſufficiat. 2. Judicium de fidei quæſtionibus ex ſo-



Digitized by Google

lis Scripturis non poſſe repeti, ſublata vivi judicis auctoritate. 3. Tale judicium ex privato cujuſvis, etiam prædeſtinati, fidelis ſpiritu non eſſe idoneum. Ex quibus etiam adverſus Dallæum cum Natali Alexandro & Taddæo Caluſchi deducimus Sanctum illum Præſulem Divinas, & Apoſtolicas Traditiones maxima veneratione ſuſcepiſſe.

XXVIII. Deſinant Heterodoxi pro ſe B. Auguſtinum laudare, ſive dum malos ad Eccleſiam non attinere opinantur, ſive dum Generalium Conciliorum de fidei, morumque rebus definitiones emendationi obnoxias autumant. Utramque ſcilicet illorum hæreſim belle S. Doctor retudit.



Digitized by Google

XXIX. Pervulgatæ perſuaſioni, quod Itala Verſio Sacræ Scripturæ olim extiterit, occaſionem præbuiſſe vitiatos Codices S. Auguſtini cum Bentlejo fingit Maffejus, quorum placitum ceu ſingulare probatur quidem litterato P. Zachariæ; at probe refellitur ab Eruditiſſimo Auctore ſupplementi ad ejuſdem P. Zachariæ Hiſtoriam.

XXX. Qui Primatum juriſdictionis & auctoritatis tum S. Petro, tum Romano Pontifici eripiunt, teſtimoniis S. Auguſtini inconſulto ſe tuentur. Quin ex eodem nec erui quidquam poteſt pro novo Richerii ſyſtemate, juxta quod Chriſtus non immediate Petro Claves, ſed uni



Digitized by Google

Eccleſiæ, per quam *Symbolico ipſius Capiti* Petro communicandæ eſſent, contulerit.

XXXI. Non niſi inſcitiſſime ex Auguſtino quiſpiam coget, vigere nunc illud Apoſtolicum decretum Act. 15. de abſtinentia *ab immolatis ſimulacrorum*, & *ſanguine*, & *ſuffocato*.

XXXII. Abſtinentiam a carnibus apud veteres Chriſtianos diebus eſurialibus publica lege præceptam cum ex aliis Patribus, tum ex S. Auguſtino contra Dallæum evincimus; atque adverſus eundem Antepaſchale Jejunium primis Eccleſiæ ſæculis religione ſumma a Chriſtianis obſervatum, & ex Apoſtolica Traditione acceptum volumus, ipſo nobis

bis

Digitized by Google

bis ſuffragante eodem Hipponenſi Præſule.

XXXIII. Juxta eundem S. Antiſtitem firmiter tenemus 1. Legem Veterem abrogatam quidem in morte Chriſti: at mortuam prius fuiſſe, quam mortiferam; 2. Per annos 40. a morte Chriſti, videlicet uſque ad deſtructionem Templi Hieroſolymitani ſub Veſpaſiano & Tito, abſque peccato veteres cæremonias potuiſſe ſervari; 3. Apoſtolos obſervaſſe legalia non ex quadam ſimulatione, ſed ſincere prorſus. 4. Non ficte ac ſimulate, ſed vere & ex animo Paulum reſtitiſſe Cæphæ intempeſtive eadem legalia obſervanti.

XXXIV. Pariter ad mentem ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem S. Doctoris propugnamus 1. Mendacium omne divina lege vetitum eſſe; 2. Reſtrictiones mentales eſſe veri nominis mendacia; 3. Verba per legem Reipublicæ, etiam in gravi, extremaque neceſſitate, ſenſum proprium non amittere, ut contra novum quendam Sacrarum Lectionum Scriptorem erudite diſſeruit, probavitque Cardinalis Orſi.

XXXV. Quoniam ex S. Alipio Tagaſtenſi in Auguſtino *Ducem habemus, qui nos in ipſa veritatis arcana, Deo jam monſtrante, perducat*: tuto cum Noriſio affirmamus vera eſſe ea omnia, quæ idem S. Doctor adverſus Pelagianos diſputando *de Lege veteri*

Digitized by Google

*teri* protulit, & impudenter hìc a quibuſdam culpari tantum Præſulem furoris, & exceſſus.

XXXVI. Præterea *mihi videtur* cum Sancto eodem Patre, *quod definitio brevis, & vera virtutis ordo eſt amoris*, quo ſervato, vel Deo fruimur, vel utimur creaturis. Igitur *Quidquid boni ab homine & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt* ſecundum eundem Auguſtinum; proinde tenentur homines ex præcepto charitatis actiones omnes deliberatas virtualiter ſaltem referre in Deum, nullique dantur in individuo humani actus indifferentes.



Digitized by Google

XXXVII. Auguſtinum injuſti aggreſſoris occiſionem ut illicitam habuiſſe, & charitatis præcepto repugnantem, multi iidemque graviſſimi Theologi haud inique deprædicarunt. Non ergo patiar a quibuſdam apud Noriſium reprehendi S. Doctorem, quaſi hac in re craſſum errorem vulgaverit. Quin, meo quidem judicio, ſententia veris criminibus occiſionem hujuſmodi adnumerans multis SS. Litterarum oraculis confirmatur: Cypriani, Ambroſii, Lactantii, Cyrilli Alexandrini, Nicolai I., & Bernardi teſtimoniis innititur: & a Gerſone, Accurſio, Riccardo a S. Victore, Auguſtino Triumpho, Lupo, Vanroy, Gavardi, Piette,

Digitized by Google

te, aliiſque Recentioribus doctiſſimis defenditur non incommode.

XXXVIII. Nemini licere injuſtum bonorum quorumvis temporalium, famæ, honoris, pudicitiæ invaſorem interimere, expreſſa eſt, eaque veriſſima enuntiatio ſapientiſſimi Auguſtini, *cui*, ſi S. Ildefonſum audis, *contradicere fas non eſt*.

XXXIX. Et quia, docente Facundo Hermianenſi, *Eccleſiam Deus Auguſtini magiſterio inſtituit, atque firmavit*, in iſtius mentem cadere haud potuit, quod blaſphemant Calviniſtæ, Deum ſcilicet velle, præcipere, vel operari peccatum, hominemque ad hoc excitare, ac impellere.

XL. Multa quidem venialia peccata ad mortale viam ſternere, non vero per ſe iſtud conſtituere aſſeruit S. Auguſtinus.

XLI. Hoc S. Patre una cum aliis pluribus facem nobis præferente, comperimus objectum Spei Theologicæ non eſſe præciſe Omnipotentiam, & Miſericordiam Divinam, ſed *Deum ipſum ut nobis bonum*.

XLII. Non ignoramus, Præſcriptionem legitimam verum eſſe tam in interiori, quam in exteriori foro titulum rei poſſidendæ. Neque vero id fuit unquam inficiatus Auguſtinus.

XLIII. Turpiter allucinatur Barbeyracus inquiens, ex laudato ſæpius S. Antiſtite conſtare, fide-

Digitized by Google

fideles tantum, vel juſtos, jure bona poſſidere, iiſdemque jus eſſe in bona infidelium: ſeu potius ex hujuſce S. Doctoris principiis Hobbeſianum firmari ſyſtema *de jure omnium ad omnia*.

XLIV. Allucinatur quoque idem Calviniſta, dum uſuram a Sanctiſſimo illo Præſule injuſte damnatam oggannit.

XLV. Rancidam tandem Bælii, & Clerici calumniam in Auguſtinum ipſemet Barbeyracus refricat, Magnum hunc Patrem accuſando de mota in Hæreticos perſecutione, Religionis cauſa.

XLVI. Quamvis autem ex Sanctesio *omnes fere Hæretici in omni*

*mni controverſia ad unum Auguſtinum, tanquam ad ſacram anchoram, refugere conſueverint*; quia tamen id ab iis præpoſtere factum eſt, inde nullatenus imminuenda tanti Doctoris auctoritas, quemadmodum olim jam præmonuit lib. cont. Mutian. Facundus Hermianenſis. Quare, ut eadem fere verba S. Bernardi adhibeam, *ab hac columna, Auguſtinum loquor, crede mihi, difficile avellor; cum eo me errare, aut ſapere fateor*.

XLVII. Itaque cum Wilhelmo Lindano, Hieronymo Torrenſi, Ruardo Tappero, & Farvacqueſio pro indubitato habeo, Melanchonem, Kemnitium, Matthiam Illiricum, Wigandum,

dum, & Hæreticorum alios Auguſtini textibus abuti, ut *binarium* duntaxat Sacramentorum numerum adſtruant.

XLVIII. Affirmo etiam nullum ex hoc S. Epiſcopo ab Anabaptiſtis depromi poſſe teſtimonium, quo irritum enuntietur Sacramentum ab improbo, ſceleſtiſſimoque Miniſtro collatum, modo nihil deſit eorum, quæ ad illius conſtitutionem ſunt neceſſaria.

XLIX. Inſuper cum didicerim ex B. Jordano de Saxonia, *nihil deeſſe in libris Auguſtini*, *quod pertinet ad ſcientiam Legis divinæ*, fidenter cum Du-Hamelio, Fraſſen, Juvenin adverſus Calvinum, Turrentinum Miniſtrum



Digitized by Google

Genevenſem, alioſque Novatores, ex Operibus Sancti iſtius Doctoris eruo, verba, quæ formam Sacramentorum conſtituunt, non promiſſoria eſſe, aut concionalia, ſed vere *conſecratoria*, *&* *operativa*.

L. Dubitaſſe Auguſtinum, an Sacramentum ſine intentione datum, per jocum & irriſorie, validum ſit, ullo abſque fundamento arbitrati ſunt nonnulli. Eundem ſumma temeritate ſuum eſſe inquit Kemnitius, dum pro valore talis Sacramenti decertavit. Nos Auguſtinum ſecuti in Miniſtris, cum Sacramenta conficiunt, & conferunt, requirimus intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, ſecun-

dum

Digitized by Google

dum Conc. Trident ſeſſ. 7. can. 11. & Alexand. VIII. in damn. propoſ. 28.

LI. At falluntur Vanroy, Roncaglia, aliique cenſentes ab Eccleſia proſcriptam eſſe eam ſententiam, quæ circa externam Miniſtrorum in Sacramentis conficiendis intentionem arriſit Ambroſio Catharino, Paludano, Scribonio, Joanni Viguerio, Paſqualigo, Sanbovio, Eſtio, Farvacques, Silveſtro Prierati, Magiſtro Sententiarum, nobiſque cum multis Recentioribus. Novimus enim inter adiaphoras locari hanc controverſiam a Sapientiſſimo Pontifice Benedicto XIV., atque ipſum Catharini placitum non infirmis argumentis ex Eccle-

Digitized by Google

cleſiæ conſuetudine, variiſque definitionibus, ex ratione multiplici, ex Innocentio IV., ac potiſſimum ex SS. Auguſtino, & Aquinate petitis confirmari ab Alphonſo Salmerone, Juvenin, Contenſonio, Serry, & Auctore de Re Sacramentaria Le-Drouven.

LII. Audacter hæreticus Vedroſius pervertit verba, ſenſumque Auguſtinianæ Epiſtolæ 54. ad Januarium, ut efficiat Eccleſiaſticos ritus in Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitos a Miniſtris pro libito omitti, ac in alios mutari poſſe.

LIII. Haud agnovit Auguſtinus in Sacramentis omnibus tam Veteris, quam Novæ Legis eandem

dem

Digitized by Google

dem vim & efficaciam. Imo juxta eundem *Sacramenta Veteris Teſtamenti promiſerunt Salvatorem : Sacramenta Novi Teſtamenti dant ſalutem*, & gratiam *ex opere operato* producunt.

LIV. Data quidem fuit Circumciſio in ſignum diſtinctivum ſeminis Abrahæ a reliquis Gentibus; ſed eam quoque inſtitutam ad delendum originale peccatum adverſus Bellarminum, Angelum Mariam Canali, alioſque cum Gonet, Gotti, Maſtrio, Brancato, Auguſtinianis omnibus, ac Benedicto XIV. ſuſtinemus. Inconcuſſa quippe hæc eſt S. Auguſtini aſſertio, quam ab hocce S. Doctore primum excogitatam inerudite perhibent Nico-

Digitized by Google

colaus L' Herminier & Ludovicus Habert; cum eam non modo illuſtriores Scholaſtici, ac Patres poſteriores, ſed etiam Antiquiores, ipſæque Divinæ Litteræ luculenter proponant.

LV. Temere ſubiraſcitur Voſſius Tridentinis Patribus, clamatque longe alium eis fuiſſe ſpiritum, quam Auguſtino, cum ſeſſ. 7. can. 1. hæreticum jure pronuntiarunt, *qui dixerit baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti*. Sicuti enim, *ne quiſque contendat etiam in baptiſmo Joannis dimiſſa eſſe peccata, non agit pugnaciter* S. Doctor; ita Synodus Tridentina eandem baptiſmo Chriſti, & Joannis negans ineſſe effica-

ca-

Digitized by Google

caciam, non damnat aſſerentes etiam in baptiſmo Joannis peccata fuiſſe remiſſa : Quamquam quod demum ex hac Synodo deduci videtur, id jam tradiderit idem S. Antiſtes, baptiſmum nempe Joannis ſic fuiſſe *in remiſſionem peccatorum*, *ut ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata*, *reipſa vero in Domini baptiſmo id fieret*.

LVI. Parvulum *regenerari per officium voluntatis alienæ*, *cum offertur in baptiſmo conſecrandus*, ſcribit quidem S. Auguſtinus; at ſimul illi Sacramentum hujuſmodi neceſſarium omnino aſſeverat.

LVII. Invenio ab eodem S. Doctore aſſertum egregie, *non tan-*

*tum*

*tum paſſionem pro nomine Chriſti id, quod ex baptiſmo deerat, poſſe ſupplere: ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt*. Ita quoque ſenſit S. Bernardus. Unde non intelligo, cur hic cuidam, de quo Noriſius, in religionem venit ex S. Bernardo Auguſtinum accuſare.

LVIII. Imperite ait quidam apud Tournely S. Auguſtino nullum ex Scripturis, aut Traditione, aut Eccleſiaſticis definitionibus, aut ratione præſto eſſe argumentum, ut baptiſmo ficte ſuſcepto tribuat privilegium, quo *tunc valere incipiat, cum illa fictio vera-*

Digitized by Google

*veraci confeſſione receſſerit*. Etenim hoc S. Doctor a ſuis prædeceſſoribus certa traditione acceperat.

LIX. Inconſiderate ſcripſerunt aliqui deſerendum Auguſtinum in eo, quod velit per baptiſmum *renaſci neminem poſſe antequam natus ſit*; quandoquidem Hipponenſi Antiſtiti Sacræ Litteræ, Patres alii, Canonicæ Sanctiones, Eccleſiæ praxis, ac Scholaſtici fere omnes, duce S. Thoma, conſentiunt. Hinc adverſus Cupetiolum ſeu Gabrielem Gualdum, Florentium de Cocq, & Franciſcum Henno, Farvacques, Piette invicte probant Felix Veranus, Martinus Orelli, aliique nec ope ſiphunculi, nec alio quovis modo

do baptizandum eſſe puerum e matris utero nulla ſui corporis parte egreſſum.

LX. Donatiſtas debellavit S. Auguſtinus non *ex hypotheſi*, ut viſum eſt Raymundo Miſſorio, ſed revera credens, S. Cyprianum cum Affricanis, ac Orientalibus Epiſcopis de hæreticorum baptiſmate *aliter ſenſiſſe*, *quam res ſe habebat*. Controverſiam hanc, non fidei eſse, ſed meræ diſciplinæ, opinatum fuiſse Sanctum illum Hipponenſem Epiſcopum ex Roncaglia addiſces; quod ſi rem accuratius expenderis, & Boſsuetio & nobis contrarium ajentibus ultro aſsentieris. Nec metuo, quin idem S. Doctor inquiens, *ad Plenarii Concilii*

Digitized by Google

*cilii auctoritatem*, *roburque perductam eſſe Catholicam de baptiſmo hæreticorum ſententiam*, tibi etiam poſt Balduinum, Nicolajum, Lupum, Sandinum, & alios quamplurimos Concilium Nicænum I. indigitaſse videatur, non vero Arelatenſe I., ut placet Albaſpinæo, Sirmondo, de Marca, & PP. S. Mauri.

LXI. Valere baptiſmum ubicunque, & a quibuſcunque, hoc eſt ab hæretico, atque ethnico, verbis Evangelicis conſecratum, Catholica veritas eſt cum a Stephano I. Papa, tum a B. Auguſtino dilucide expoſita.

LXII. Quod ab Auguſtino memoriæ proditum eſt: a quibuſdam *non incredibiliter dici*

*Latronem aqua illa, quæ de vulnere lateris Chriſti emicuit, tanquam ſacratiſſimo baptiſmo fuiſſe perfuſum*: ut multis citra neceſſitatem refutat Serry; ita inepte quidam cachinnis excipiunt, quemadmodum ex Noriſio infertur.

LXIII. B. Auguſtinum in taxanda parvulorum ſine baptiſmo decedentium pœna *zeli exceſſu extra quæſtionem, quam cum Pelagianis habebat, tractum fuiſſe, ac præter intentionem locutum*, male autumarunt aliqui: atque, ut narrat Noriſius, quidam adhuc pejus ſubdidit: *Patres, qui de hac quæſtione ſcripſere, omnes contrariam ſententiam tradidiſſe.* Siquidem pueros

pœna

pœna ſenſus, licet in comparatione pœnæ adultorum reproborum mitiſſima, torqueri cum Manſo, Guerrero, Berti, aliiſque non ſolum ex unanimi Sanctorum Patrum conſenſu, verum etiam ex rationibus Theologicis, Romanorum Pontificum, Conciliorumque Statutis, Eccleſiæ Traditione, Sacriſque Litteris oſtendimus.

LXIV. SS.Hieremiam ac Joannem Baptiſtam non fuiſſe prorſus ab originali noxa in uteris matrum per gratiam ſanctificantem exſolutos, particularis fuit, non diffiteor, S. Auguſtini adverſus Pelagianos de peccato originali diſputantis opinio. Hanc vero S. Bernardum in Epiſtola ad Ca-



Digitized by Google

nonicos Lugdunenſes rejeciſse, fallaciter obſervavit, eamque ob cauſam inofficioſum ſe in hunc tantum Doctorem præbuit quidam, ut apud Noriſium perſpicere licet.

LXV. Magnum illum Domini Præcurſorem materno in utero prodigioſe exiliiſse, ac ſalutarem habuiſse divinitatis Chriſti notitiam allata a Sandino, Serry, Paciaudio; & præſertim a P. Faſsoni contra Baſnagium, & Grotium argumenta evincunt, ſimulque probant cum illis decipi Janſenium Gandavenſem, Cornelium a Lapide, ac Tirinum, exiſtimantes Auguſtinum nullam in Joanne rationis uſuram, igniculos nullos admiſiſse.

LXVI.

Digitized by Google

LXVI. Illud S. Auguſtini placitum, juxta quod per baptiſmum non aufertur Bigamia antea contracta, non immerito adoptavit Latina Eccleſia.

LXVII. Dallæo Confirmationem ex albo Sacramentorum Novæ Legis expungenti nuſquam patrocinatur S. Auguſtinus; patrocinatur autem nobis cum Petro Aurelio, Canali, Witaſsii Continuatore, & aliis affirmantibus contra Sirmondum, Antonium Auguſtinum, alioſque repetitionem non fuiſse Sacramenti Confirmationis ritum illum, quo olim hæretici Eccleſiæ reconciliabantur.

LXVIII. Adſcribens Auguſtinus baptiſmo remiſſionem peccato-

rum,

Digitized by Google

rum, eorum etiam, quæ poſt baptiſma committuntur, non præformavit hæreſim Novatorum negantium Pœnitentiæ Sacramentum a baptiſmo, ejuſque memoria diſtinctum eſse. Quin Sanctus hic Doctor indubie concinit Eccleſiæ uſui, Traditioni Majorum, & SS. Litteris, unde liquet neceſsariam eſse lapſis poſt baptiſmum Confeſſionem Sacramentalem, in eaque enumeranda omnia & ſingula peccata lætalia, quorum reminiſcuntur.

LXIX. Qua ſuper re ſignifico 1. Tridentinos Præſules non definiviſſe, meram attritionem *ſine inchoata charitate* ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ acquirendam *ſufficienter* diſponere. 2. Ad

Digitized by Google

2. Ad obtinendam in eodem Sacramento criminum remiſſionem non ſufficere attritionem ex ſola turpitudinis peccati conſideratione, ac gehennæ formidine elicitam, ſed requiri *initialem* ſaltem *amorem*: & amorem hunc non *ſolius ſpei*, quo *Deus ut bonus nobis* diligitur, ſed *Charitatis* eſſe debere. 3. Poſitionem hanc communem eſſe apud veteres Scholaſticos, eandemque cum Theologicis rationibus, Scripturis, Traditione, & Synodi Tridentinæ Decretis perfecte congruere, ac tandem proponi frequenter ab Auguſtino, qui *unus*, ut *in Serm. de Translat. Corporis S. Monicæ* loquitur Martinus Papa V., *omnium Patrum, Sapien-*

*tumque*

Digitized by Google

*tumque ingenia, ac ſtudia exhibet.*

LXX. Diſsenſit profecto Auguſtinus ab Heterodoxis, qui abſolutionem Sacramentalem eſse ajunt, *nudum miniſterium declarandi dimiſſa eſſe peccata confitenti, & totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo.* Nec minus a Novatianorum errore de irremiſſibilis peccati exiſtentia abhorruit hic S. Pater, cujus doctrinam haud ſatis perſpectam habuere Bellarminus & Tournely, cum veluti falſam reſpuerunt celebrem ipſius interpretationem ſuper verſ. 31. Cap. 12. S. Matthæi, juxta quam Blaſphemia in Spiritum Sanctum, quæ nunquam remittitur, eſt *peccatum impœnitentiæ contra*

*donum*

Digitized by Google

*donum Dei*, *&* *gratiam regenerationis vel reconciliationis*, *quæ ſit in Eccleſia in Spiritu Sancto*.

LXXI. Neque aſsecutus eſt hujus S. Doctoris mentem Blondellus, dum Scripturæ & Traditionis oracula prave contorquens, ut pertinaciter tueatur Epiſcopos ſolo Eccleſiarum uſu, humanoque præcepto Presbyteris antecellere, ad illius Epiſtolam 82. B. Hieronymo datam, provocavit.

LXXII. Reperies in Auguſtini Operibus clare expreſſum Can. 9. ſeſſ. 7. Conc. Trident., quo ſtatuitur, *in tribus Sacramentis Baptiſmo ſcilicet*, *Confirmatione*, *&* *Ordine imprimi caracterem in anima*, *ſeu ſignum quoddam ſpiritua-*

*rituale & indelebile*, *unde ea iterari non poſſunt*.

LXXIII. Graviter errant, qui ex S. Auguſtino nituntur deducere, Verum Chriſti Corpus in Euchariſtiæ perceptione a peccatoribus non ſumi. Sed gravius adhuc allucinantur Albertinus, Matthæus La Roque, Claudius, aliique Calviniſtæ, cum adverſus realem Chriſti Domini in Euchariſtia præſentiam, aſſertamque a Concilio Tridentino *Tranſubſtantiationem* ipſummet Auguſtinum urgent: uti copioſe demonſtratum eſt a Cardinali Perronio.

LXXIV. Quod fabulantur Dallæus, aliique, quos commemorat Cardinalis Noriſius, di-

Digitized by Google

dixiſſe nempe Auguſtinum, infantes baptizatos non poſſe ſalvos fieri ſine reali Euchariſtiæ ſumptione, falſiſſimum eſt.

LXXV. Calvinus, reliquique Hæretici, dum effutiunt Euchariſtiam verum, ac proprie dictum non eſſe Sacrificium, quod in Miſſa offertur, perperam in S. Auguſtini verbis patrocinium quærunt. Ac perperam pariter ex hoc S. Præſule colligit Franciſcus le Courayer Sacrificium Miſſæ in ſola mortis Chriſti commemoratione, ac repræſentatione eſſe reponendum.

LXXVI. Sacrificium Miſſæ non quidem pro defunctis damnatis, ſed rite offerri pro mortuis in Chriſto nondum plene purgatis:



Digitized by Google

darique proinde Purgatorium, in quo iſtorum animæ detineantur, a S. Auguſtino edocemur.

LXXVII. Edocemur etiam ab ipſomet S. Doctore Catholicum illud dogma de licita ac laudabili ejuſdem Sacrificii Miſſæ in honorem Sanctorum oblatione. Imo Liturgiæ S. Auguſtini ætate antiquiores, ab ipſo Dallæo laudatæ, diſerte commoſtrant, *non orandum pro Sancto, vel Martyre*: quod Myſterium Auguſtino primum cognitum idem hæreticus inſigni fraude affirmat.

LXXVIII. Novi criminis reum inſcienter poſtulat S. Auguſtinum Auctor quidam apud Noriſium, dum animadvertit quam men-

Digitized by Google

mendaciſſime, ab eo cont. Julian. lib. 2. cap. 10. traditum, cogitationes moroſas, ſive delectationes voluntarias de rebus venereis, eſſe duntaxat veniale peccatum.

LXXIX. Eundem S. Præſulem *exceſſiſſe* lib. de Bono Conjug. cap. 6. hæc ſcribentem: *Conjugalis concubitus concupiſcentiæ ſatiandæ gratia, tamen cum conjuge, venialem habet culpam*, credidit certo, ſed indocte quidam, ut idem Noriſius teſtatur. Ea oppido tum Auctori Conſtitutionum Apoſtolicarum, SS. Fulgentio, Gregorio Magno, Anſelmo, tum Magiſtro Sententiarum, B. Alberto Magno, Alexandro Alenſi, Sanctiſque Tho-

mæ & Bonaventuræ, & innumeris Theologis placuit opinio: ac tandem contrariam cenſura notavit propoſit. 9. Innocentius XI.

LXXX. Pluralitatem uxorum repugnare primævæ inſtitutioni Matrimonii, ejuſque finibus ſecundariis, ac vetitam eſſe divina lege arbitramur; iſtamque ſententiam Auguſtini auctoritate cum Eſtio roboramus. Verum etſi Lamechum, qui duas ſimul uxores primus duxiſſe legitur, ab adulterio excuſare non poſſumus; haud tamen Joanni Henrico Heideggero ſubſcribimus contendenti, Polygamiam omni penitus tempore fuiſſe prohibitam. Nam veteres Patriarchas, alioſque in Lege Moſaica, Deo diſpen-

Digitized by Google

penſante, plures ſimul abſque ulla culpa uxores ſibi copulaſſe, extra omnem dubitationis aleam ponunt, licet alia deeſſent, Auguſtini momenta.

LXXXI. Inter Mariam & Joſephum verum interceſſiſſe conjugium docet S. Auguſtinus. Is ergo nunquam autumavit ad validitatem matrimonialis contractus neceſſariam in carnale commercium conſenſionem, vel mutuam corporum commixtionem ad matrimonii eſſentiam pertinere: quidquid obloquuti ſint alii.

LXXXII. Vinculi conjugalis indiſſolubilitatem adeo clare ſtatuiſſe B. Auguſtinum cum Cottelerio exiſtimamus, ut putemus Launojum operam perdidiſſe,



Digitized by Google

cùm ad probandum Matrimonii vinculum eſſe ſolubile propter alterius conjugis adulterium, teſtimonia in ipſo S. Doctore conquiſivit.

LXXXIII. Si Barbeyraco habenda ſit fides, *Auguſtinus certe poſſe virum jus, quod habet in uxorem, in alium traſferre: imo ne dum id fieri poſſe, verum & neceſſario aliquando faciendum declarat*. Idem fere habes ex Jacobo Platelio. Sed naturalis, divinique juris adeo ignarus non fuit Præſul ille doctiſſimus. Novit, quid Jus Naturæ, quid Scriptura Sacra, quid Traditio ea de re ferant; neque in errorem iſtum tam abſurdum putidumque, ſicuti nec in propoſitio-

Digitized by Google

tionem 50. ab Innocentio XI. proſcriptam, uſpiam offendit.

LXXXIV. Litare veritati haud magis ſtuduit idem Calviniſta Barbeyracus, cum aſſeruit ita Epiſcopum illum Sanctiſſimum de matrimonio locutum eſſe, ut ſequatur inde SS. alios Eccleſiæ Patres, & ſpeciatim Hieronymum, abſolute ſecundas nuptias damnaſſe.

LXXXV. Hipponenſis idem Sanctus Epiſcopus Virginitatem tot laudibus ſæpe cumulavit, ut eam, veluti majus ac præſtantius bonum, meritumque, conjugio longe antetulerit.

LXXXVI. Temperare me jamdiu non poſſum, quominus cum Noriſio quoſdam rurſus coarguam,

Digitized by Google

guam, eo quod S. *Auguſtinum abreptum æſtu diſputationis adverſus Pelagianos exceſſiſſe lineas neceſſariæ veritatis* ſcriptitaverint.

LXXXVII. Similiter quidam, quos fuſe confutat Noriſius, injurioſe conjectant Sanctum hunc Doctorem *exceſſiſſe*, dum cogitato ait, concupiſcentiam rationi contrariam eſſe malam, & defectum naturæ humanæ ex peccato originali ortum, neutiquam vero bonum naturale illius.

LXXXVIII. Contendunt ulterius aliqui S. Auguſtinum *odio hæreſis Pelagianæ propendiſſe in contrarium extremum, & exceſſiſſe* deducendo peccati originalis reatum ex innumeris huma-



Digitized by Google

næ vitæ miſeriis. Id autem illi nec comprobant, nec comprobare poſſunt. Anne ſaltem probabunt, quod etiam pronuntiant, nimirum *exceſſus*, *& rigiditatis* notandam ejuſdem S. Patris doctrinam circa Infidelium virtutes? Minime gentium.

LXXXIX. Clament ergo iidem ipſi, a S. Auguſtino male exponi illud Apoſtoli Rom. 14. 23. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Illos ne audies? Atqui Eccleſia Catholica, Romani Pontifices, ac Patres alii eam Auguſtini interpretationem approbant.

XC. Næ valde miraberis importunum illius zelum, qui uti matrem Calvinianæ hæreſeos *horrere*

*rere ſe* dicit eam S. Auguſtini opinionem, ſecundum quam Originale peccatum reprobationis omnium damnatorum cauſa ſtatuitur. Utique ille pro meritis vapulavit a citato Cardinali Noriſio: & opinio eadem nobis non horroris, ſed conſilii, ſapientiæque plena apparet.

XCI. Culpæ originalis pœnam eſſe etiam corporis mortem libenter cum S. Auguſtino contra Pelagianos, Socinumque profitemur; nam potuit quidem primus homo ſibi necem conſciſcere, ſed non erat moriturus, niſi peccaſſet.

XCII. Adamum, ut in ſtatu innocentiæ perſeveraret, non indiguiſſe gratiæ adjutorio *quo*



Digitized by Google

ſeu efficaci, ſed ſatis illi fuiſſe adjutorium *ſine quo* ſive verſatile, locupletiſſimus teſtis eſt Auguſtinus, a quo recedere magna nobis eſt religio.

XCIII. Ceterum *perculſi & confuſi animo vidimus*, quod ægre quondam tulit S. Remigius, *præcipue S. hujuſce Doctoris reverendam & in omni Eccleſia Catholica receptiſſimam auctoritatem novo conatu impugnari* a quibuſdam, qui teſte Noriſio falſo opinantur, ipſum libero hominis arbitrio interdum minus æquum fuiſſe. Quippe in ſtatu etiam naturæ lapſæ liberum dari arbitrium; atque ad meritum, vel demeritum requiri libertatem indifferentiæ Sanctus ille Præſul ſæpiſſime conceſſit.



Digitized by Google

XCIV. Nequicquam ires infi-cias præclariſſimum *Eccleſiæ magiſtrum* Auguſtinum, a Deo eliminaſſe eam conditionatorum cognitionem, ſeu *Scientiam Mediam*, quæ non ſit ſcientia *viſionis*, neque *ſimplicis intelligentiæ*. Juverit potius de induſtria ſubjungere, ſic reapſe ab Auguſtino factum: & merito. Id namque inſinuant reliqui Patres, Theologica ratio, & Scriptura.

XCV. Gratuitam eſſe in hoc ſtatu Prædeſtinationem ad gloriam cum ex Sanctis Litteris, Patribus, Conciliis, ac rationibus Theologicis evidentiſſime patet; tum in primis conſtanter ſuſtinuit S. Auguſtinus. Quocirca a nonnullis apud Noriſium ignoran-

ter

Digitized by Google

ter dictum fuit : *Doctorem ipſum in hac materia cum exceſſu locutum eſſe , ac verba ipſius eſſe mitiganda , ne ab illorum acrimonia in errorem contrarium propellamur .*

XCVI. Statum naturæ puræ omnino impoſſibilem cum Viatore a Coccaglio , aliiſque Theologis præſtantiſſimis judicamus ; cumque totum hic noſtrum eſſe ſciamus Auguſtinum , nullas adverſariorum argutationes pertimeſcimus .

XCVII. Ex ejuſdem S. Doctoris mente nullo negotio hæc etiam duo defendimus : 1. Ad peccandum formaliter non opus eſſe, quod animum ſubeat ſancta cogitatio , per quam advertat ad pec-

peccati malitiam, ſed ſufficit, ſi animadvertere potuerit, ac debuerit. 2. Nullo modo, *nec hypothetice*, propugnari poſſe peccatum Philoſophicum, quod 9. Kalen. Septemb. 1690. Alexander VIII. confixit.

XCVIII. Incaute Recentiores aliquot Auguſtinianæ doctrinæ contra Pelagianos approbationem per Sedem Apoſtolicam, totiuſque Eccleſiæ ſuffragium aggreſſi ſunt pravis interpretationibus impetere. Nam a ſiniſtris illorum expoſitionibus Elogia, quævis a Summis Pontificibus, atque Conciliis eidem doctrinæ paſſim delata facillime vindicantur.

XCIX. Pari facilitate refutantur

Digitized by Google

tur Recentiores illi, qui ex Epiſtola S. Cæleſtini Papæ I. ad Gallicanos Antiſtites S. Præſulis Hipponenſis auctoritatem limitant, vel ad iſtius auctoritatem elevandam contra eundem proferunt SS. Bernardum, Thomam, Bonaventuram, aliorumque plurium inſignium Virorum teſtimonia.

C. Optime Poſſeſſorem monuit S. Hormiſdas Papa, *de arbitrio libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur & ſervet Eccleſia, in variis Libris B. Auguſtini abunde poſſe cognoſci*. Noſtrum igitur Doctorem Apoſtolicæ Cathedræ perpetuo fœdere junctum meritiſſimo probant præ ceteris Carolus Mo-



Digitized by Google

reau, & Bellelli: quandoquidem a *bonis*, *& rectis corde ſatis conſtat* ex Alex. VIII. Clem. XI. Bened. XIII. Clem. XII. oraculis, *fulgidiſſimi hujus Eccleſiæ luminis inconcuſſa tutiſſimaque dogmata nullis prorſus cenſuris eſſe perſtricta, & libere ubique doceri ac propugnari*.

CI. Quapropter ſuccenſere mihi nemo poterit, ſi Gratiam actualem cum S. Auguſtino ſic rectiſſime definiam: *Eſt inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus*. Ex qua definitione liquet, hanc gratiam ab actuali charitate non diſtingui, & in delectatione victrici conſiſtere.

CII. Quem porro fugit S. Auguſtinum in hoc infirmatis ſtatu gra-

gratiam non Molinianam, nec Congruiſtarum, ſed *ab intrinſeco* efficacem propugnaſſe? Ego equidem poſt hunc ſtrenuiſſimum iſtiuſmodi gratiæ vindicem, hanc ex Sanctis Scripturis, Patrum Traditione, Conciliorum decretis, & Orationibus Eccleſiæ apertiſſime colligo; eandemque libero hominis arbitrio nullo modo officere ſtatuo.

CIII. Nec mihi quiſquam crimini vertet, quod Cl. Berti verbis utens dicam, piam illam Delectationem non eſse eandem in omnibus, ſed modo efficacem, modo inefficacem: atque charitatem, & gratiam habere gradus ſuos, ex quibus, abſque ullo abſolutæ Dei voluntatis præjudi-

 cio,

Digitized by Google

cio, mirabilem ejus œconomiam una cum vera arbitrii noſtri libertate perſpicue explicem. Reor etenim hanc eſse de natura, & efficacia gratiæ genuinam S. Auguſtini mentem.

CIV. In illorum ſententiam, qui Obcæcatos omnes, & Induratos non ſemper recipere gratiam ſufficientem arbitrantur, haud ægre deſcendo. Item puto auxilia etiam ſufficientia, a Deo omnibus præparata & exhibita, quibuſdam interdum deeſse ob impedimenta, quæ objicit humanum demeritum. At defendo non eſse neceſsariam ad imputationem peccati præſentem, & actualem divinæ gratiæ inſpirationem; adeoque quiſquis non adju-

Digitized by Google

adjuvatur a Deo per ſubminiſtrationem cæleſtis auxilii, queri debet de prava ſua voluntate, non de ipſo Deo beneficentiſſimo gratiarum ſuarum largitore. Video enim hæc cum ratione Theologica, Scripturis, Patribus, ac potiſſimum S. Auguſtino apprime cohærere.

CV. Denique obſervo, vel ſola lectione librorum Retractationum S. Auguſtini innoteſcere, eum nihil omnino ab ſe de divina gratia traditum in libris contra Pelagianos exaratis expunxiſse, neque verbum unum tanquam minus aptum eraſiſse: mirorque vehementer aliquos nuperrime tanta confidentia oppoſitum venditaſse.

CVI.

Digitized by Google

CVI. Tibi igitur ego etiam atque etiam ſum auctor, ut alte tuo in animo inſculpas celeberrimum illud S. Proſperi effatum in Epiſt. ad Rufinum cap. ult. *Si vere de quæſtionibus* ad Myſterium Gratiæ Dei pertinentibus *inſtrui deſideras*, *ſicut deſiderare te convenit*, *ipſis Beati* AUGUSTINI *diſputationibus cognoſcendis impende curam*, *ut in confitenda Dei Gratia defæcatiſſimam ac ſaluberrimam Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris*. Verum hæc fortaſse alias pluribus. Faxit Deus.

Digitized by Google

197

REIMPRIMATUR.
Si videbitur Rmo Patri Magiſtro
Sacri Palatii Apoſtolici.
*D. Archiep. Nicomed. Viceſger.*

---

REIMPRIMATUR.
Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius O. P.
Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

99 935 473

Digitized by Google